

DISSERTATIO GRADUALIS

DE

AUCTORE  
EPISTOLÆ

AD

HEBRÆOS,

QUAM,

*Ex consensu Ampliff. Facult. Philosoph. in florentissimo  
ad Auram Athenæo,*

PRÆSIDE,

VIRO AMPLISSIMO atq; CELEBERRIMO,

DN. CAROLO ABRAH.  
CLEWBERG,*Græc. & O. O. L. L. PROFESS. Reg. & Ord.  
ad publicum examen quâ par est modestia deferri*

PETRUS SONCK,

RAIMO A-FINLANDUS.

*In Auditorio Superiori Die XXII. Decembr.  
Anni MDCCLIII.*

H. A. M. S.

---

*ABOÆ, Impressit Direct. & Typog. Reg. M. Duc. Fin-  
land. JACOB MERCKELL.*

UIRO

*Maxime Reverendo atque Celeberrimo,*

**D. N. MAG. JACOBO  
GADOLIN,**

Scient. Nat. Professori Regio & ordinario; Ecclesiæ  
Cathedralis Fennicæ Aboënsis *PASTORI* gravissimo,  
Utriusque Consistorii *Adfessori* adcuratissimo, nec  
non R. Scientiarum Acad. Holm. *MEMBRO*,

**MÆCENATI MAGNO.**

**Q**Uum in eo essem; ut alterum specimen Academicum  
publicæ luci exponerem, mens mihi in omnes fere-  
batur partes, an hoc Celeberrimo Tuo Nomini sacrum  
facere auderem. Parum absuit, quin pudor, nescio  
quis, retardaret me ab officio, ad quod me obligatum  
ante omnia sensi, nimirum, quum scirem tale quid  
in hoc non contineri opusculo, quod Tua persona dignum  
esset

UIRO

Admodum Reverendo atque Praclarissimo

D<sup>N</sup>. MAG. JOHANNI

S R M M ,

Ecclesiae Raumoensis PRÆPOSITO atque PASTORI lon-  
ge meritissimo, ut & INSPECTORI ludi litterarum  
ibidem adcuratissimo,

PATRONO OPTIMO.

IUT 2110MIS

**F** St hoc illorum officium, qui beneficia acceperunt,  
ut si gratiam referre non valeant, habeant sal-  
tim semper & agant, quoties commoda se obtulerit oc-  
casio. Merita Tua, Vir admodum Reverende, in  
me tanti aestimo, quanti a quovis aestimari debent ea,  
que in favoris singularis significationem praestari so-  
lent. Grates pro his persolvere digna non opis est mee:

PETRUS SONCK

ver-

esset, Tuoque voto satisfaceret. Ast gaudeo in sinu,  
estimationem Tui favoris in quoslibet Musarum cul-  
tores penes me, sensum mee egestatis multis modis su-  
perare; quo factum est, ut, deposito metu, hoc leviten-  
se munusculum, non auro & gemmis distinctum, sed ni-  
gricante literarum pictura variatum, Tibi mittere  
non erubescam. Respice igitur, Vir Celeberrime, animi  
mei candorem potius, quam muneris qualitatem & vi-  
rium imbecillitatem. Ut eodem, quo antea, etiam posthac  
me amplectaris favore, meamque Tibi fortunam quam  
maxime commendatam habeas, est quod humillime oro.  
Pro Tuo perenni flore & felicitate, ad terminos vite  
humane indies augenda, vota funderé non intermittam;  
dum vixero permansurus

Maxime Reverendi atque Celeberrimi  
NOMINIS TUI

*cultor humillimus*  
PETRUS SONCK.

verba etiam cuncta sunt Tuis in me officiis minoru.  
Accipe, Vir admodum Reverende, in animi grati &  
venerabundi tesseram, hoc qualecunque profectuum me-  
orum Academicorum alterum exemplum. De cetero id  
mibi maxime est in votis, dignetur Summus rerum  
Moderator Te saluum sospitem & incolumem ad Py-  
lios annos servare; & sub munere, quod geris, sacro  
pariter atque arduo, divina sua gratia vires tanto  
oneri pares largiri, ut ecclesia, Tua sub vigili cura,  
inter spinas non aliter ac rosa verna, vigeat, vireat,  
floreat. Sic peracta hac vita transeat ad feliciorum  
illam, nullis seculis terminandam, ubi gaudia mane-  
bunt, qualia nec oculo, nec aure cuiquam percepta.  
Ita roget

Admodum Reverendi atque Præclarissimi  
NOMINIS TUI

Högschule Herr Handelsmannens

Min Günstige Gynners

Löblichste Zeugniss  
PETER SONCK

cultor observantissimus,  
PETRUS SONCK.

Handelsmannen i Konglige Residence Staden  
STOCKHOLM,

Högachtad,

HERR

**ERIC WEDENBERG,**

Min Gunstige Gynnare.

**S**edan mig för någon tid den förmon vederfors,  
at komma uti Min Herres bekänthet, har jag  
sedt många öfvertygande prof af des synnerliga väl-  
vilja. At förgäta densamma, vore en uppen-  
bar otacksamhet. En last för hvilken jag har så stor  
afsky som jag finner mig litet förmögen at veder-  
gälla Min Herres godhet. I brist af annat behagade  
Min Herre tillåta, at detta entalliga arbete tolkar min  
tacksamma välmening. Uptagen ei ogunstigt, at jag  
det samma Edert värda namn tillskrifver. Himme-  
len förläne Eder lycko och välgång uti Eder handel,  
och efter sluten jordisk vandel före Eder til the var-  
achtiga himmelska nöjen. Önskar och framlefver  
med oafslätelig tilgifvenhet

Högachtade Herr Handelsmannens

Min Gunstige Gynnares

*Börsamste tienare*  
PETTER SONCK.

Philosophiæ Candidato  
Clarissimo,

**Dn. PETRO SONCK,**

De Auctore Epistolæ ad Hebræos, pro gradu, pu-  
blicè & doctè disputaturo,  
Amico Integerrimo.

**M**ENS *Tua* lauriferos Parnassi invifere colles  
Favor, ritè cupit, myftica verba canit.  
Non hic Harpyjas, Circes, vastosque Cyclopes;  
Non vanos superos nomina ficta doces;  
Sed quæ Doctorum mens fit fensusque Sophorum  
De rebus facris, conspicis arte bona.  
Dulcia mella dedit flos Biblia sacra, & odore  
Imbuit ambrosiô *Te* Sophia alma fuô.  
En labor in facris quam fit lucrofa voluptas!  
Ut mulcet vario pectora quæque modo!  
Sedula apis veluti collecta ex floribus extra,  
Alvear inde suum, mella ferendo petit,  
Sedula apis veluti collectum spargit odorem  
Ex florum succo, dum redit inde domum;  
Sic & Amice, diu doctrinæ ex floribus hausto,  
Raumoam plenus nectare, odore, redis.  
Laudo hoc confilium, studiumque, quod esse secu-  
rum  
*Te* video in causa hac, laudo vocoque bonum:  
*Tu* ergo cinctus patriæ repete arva *Ἰσραηλ*  
Pollens doctrinâ hâc ique redique domum.

Hinc

Hinc præstes viduæ solatia debita Matri,  
— Pendet ab auxilio quæ prope tota Tuo!  
Et quia virtutem sequeris Clarissime Petre,  
Musa Tibi felix grata tropæa feret.  
Candidus ergo Tuus, Tibi candidè grator & opto,  
Candore ingenuo, candidus ut vigeas!  
Accipe quæ scripsi festino carmina plectrò,  
Atque hoc officii pignus habeto mei.

Dabam Raumo die XII. Dec.  
MDCCLIII.

*Non tam moris quam amoris ac honoris  
ergo transmisit*

JOH. M. GUNN.

P. & P. R.



§. I.



**B**orum, quos Sacer continet Codex, vix  
 ullus est liber, quem non hostes pro-  
 tervi vel variis telis petere, vel ut du-  
 bia auctoritatis de ponte dejicere ac  
 e Canone expungere fuerint conati.  
 Hos inter illustris nobilissima illa ad Hebræos Epi-  
 stola; cujus auctoritatem, ut illi damnarunt inpri-  
 mis, quorum dogmata subvertere videbatur, ita &  
 alii veteres sequuti, iniquius ac par erat, de ea tu-  
 lere iudicium. Sed est hoc, ni fallor, inter alia ar-  
 gumenta Divinæ originis, quod tot in eam adver-  
 sarios concitaverit communis ille humani generis  
 hostis. Hæc enim adeo multis eminent criteriis, au-  
 ctoritatem illi cœlestem adferentibus, ut vix ulli ex  
 ceteris Canonis partibus jure queat dici secunda.  
 Non jam genus doctrinæ excellentum loquimur, non  
 sanctissima morum præcepta, non illustrem cum scri-  
 pturis consensum, non genus dicendi sublime hu-  
 manoque majus eloquio, non *ἰερωτατον*, certissimum  
 loquentis Dei argumentum. Hæc quidem illustria

esse & ad convincendum momenti habere plurimum, lubentes agnoscimus. Ea tamen, ne falcem in alienam messem immisisse videamur, aliis expendenda relinquimus, contenti epistolæ hujus, ætate prima Apostolorum exaratæ, verum auctorem in aprico collocare. Ut enim adversarii auctorem dubium reddendo ipsam oblique petunt epistolam: ita ubi de illo convenerit, de hujus auctoritate ulterius dubitari nequit.

## §. II.

**D**E auctore hujus Epistolæ multum inter eruditos fuit disputatum. S. Barnabæ tribuere eam nonnulli: alii Apollini Alexandrino: alii Lucæ: alii Clementi Romano: alii Marco: alii Tertulliano: alii denique Paulo. De singulis pauca nobis observasse fortasse a scopo non erit alienum. Fuisse qui S. Barnabæ adscriberent, auctor est Philastrus (a) Jo. Cameroni eadem arrisit sententia (b). Quo vero ratiocinio Barnabæ qui nunquam in Italia fuit, adferat epistola ex Italia scripta, nos quidem intelligere non possumus. Lutherus noster (c) auctorem facit Apollinem illum Alexandrinum, de quo Act. XVIII. v. 24. dicitur, Ἰσθαὶ τοῦ περὶ Ἀπολλῶντος ἐνομίαν, Ἀλεξανδρεὺς, τὸ γένει, ἀνὴρ λόγιος, καὶ δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς ἑραφαῖς. Hunc Corinthiorum Episcopum, Hieronymo teste (d) apud eos non simplici, verum oratorio aut dialectico usum instituendi modo, idque Paulo πρὸς τὴν ἀκοήν audire, a τὸ φημίσιν distinctum (e) erudite docet Vitringa (f). Non plane a vero abhorre hęc sententia, si a Paulo discesseris, visa est Spanhemio. Placuit Clerico (g), & ita placuit Heumanno, (h)

ut ægre tulisse videatur, Clericum inventionis gloriam sibi concedere noluisse, quam tamen, si quæ hac in re gloria, neutri deberi patet. Sed quæ pro Apollone solent adferri rationes, ita sunt comparatæ, hunc ut scribere potuisse evincant, scripsisse vero minime demonstrent. Unde cum nullo veterum testimonio hæc fulciatur opinio, recte eam deferit modo laudatus Spanhemius (i).

(a) *heresi* 88. Hieron in *Catalogo*. (b) *Fabr. B. Gr. L. IV c. V. p. m. 104.* (c) *ad cap. XLVIII, Genes. f. m. 186. it. postill. Eccl. XLVIII. Festi Job. Evangel. p. 44.* (d) *ad Tit. c. 3.* (e) *1. Cor. 3: 6.* (f) *obs. S. S. L. III. c. XXI. §. IX. p. m. 806.* (g) *Bibl. Selectæ T. IV. p. 410.* (h) *Pæcil. T. II. L. II. p. 169.* (i) *de Ep. ad. Hebr. pert. 2. c. 9.*

§. III.

**H**ugoni Grotio eorum, qui Paulo tribuant, opinio recentior & omnium refutatu facillima, confidenter potius quam vere judicatur. Vetustissimi in tres scinduntur partes, si ei credimus, qui Barnaba & Clemente Romano rejectis, Lucæ lubens adscribit. Quod ut faciat, persvadet stilus floridus, lingua bene Græca, vocabula & loquendi genera, quædam Lucæ velut propria, loca Ver. T. versionem τῶν ὁ presse exprimentia, locus scriptiois Italia, & alia movent his similia. Sed invalidum omnino a stylo desumptum argumentum. Phrasis Lucæ Græcanica magis, & ab ea dictio hujus epistolæ longiori distat intervallo. Habet tamen hæc sublimiorem eloquentiam, quæ haud obscure subinde Magistrum arguit. Largimur Grotio, dari phrasas au-

ſtori hujus epistolæ peculiare. Eſto; quod verbum  
 παρρησία in ceteris epistolis, Paulo adſcriptis, non  
 occurrat. Idem etiam in toto N. T. ſi Hebr. c. II.  
 1. excipias, fruſtra quaſiveris. Sit αἰών Hebr. c. I.  
 2. & XI. 3. pro mundo, vox ignota Paulo, ut con-  
 tendit Grotius, conſentiente etiam Halletto, (a)  
 aliud licet evincant, ni fallor, loca Eph. II. 7. & I. Cor.  
 II. 7. Aſt eandem vocis notionem cum ignoret æque  
 Lucas, quid pro illo colligat inde Grotius? Sit εὐλα-  
 βηθεὶς, Lucæ cum hujus epistolæ auctore communis,  
 (b) apud ceteros N. T. Scriptores non occurrens.  
 Contra majori jure vox εὐλογία, Paulo frequens, i-  
 gnota Lucæ, urgebitur. Similiter eidem objeceris  
 voces ἀμελέω, ἀμνηστέω, ἀναμνησκω, aliasque plurimas.  
 (c) Inde vero, quid de Boherello teneamus, judi-  
 catu facile. Is enim, ut cum Artemonio (d), ean-  
 dem ac Grotius fovet ſententiam: ita & voces ἐπι-  
 στήλιον pro ſcribere epistolam, & ἡγούμενοι, pro verbi  
 miniſtris, objicit (e). Nec valet ad Ἰοκῆτα quo ſcri-  
 pta hæc fuit epistola, provocare. Vincitum eo tem-  
 pore Romæ Lucam, abſente Paulo ex Italia, pro-  
 batum, ni fallor, erit difficile. Septuaginta ſenes amat  
 addicte ſequi, de qua jam agimus, epistola. Lucæ  
 hoc familiare concedimus. Urgemus ſimul, idem  
 reliquis N. T. ſcriptoribus & Paulo quoque eſſe  
 commune. His igitur a Grotio pro Luca allatis,  
 quantum inſit ponderis, quis non viderit? Lucas  
 porro, non ipſe Apoſtolus, ſed Apoſtolorum diſci-  
 pulus, nec tantum auctoritate valebat, ut epistola  
 hæc Eccleſias inviſere poſſet. Inprimis Hebræos æ-  
 gre

gre declamationes audituros fuisse profelyti, genti-  
lis origine, credere par est. Nec illi cum his mul-  
ta familiaritas, quippe qui Paulo vita functo, inter  
Achajos Thebanosque vixisse & martyrium subiis-  
se traditur.

(a) ap. *Wolffium Cur. Phil. T. III. p. m. 829.* (b) cf.  
*Act. XXIII. 10. & Hebr XI. 7* (c) *l. c. p. m. 830.* (d) *ini-*  
*tio Evang. Johannis restitut. p. 98.* (e) *in notis ad versio-*  
*nem Gallicam Origenis contra Celsum, p. 143.*

§. IV.

Clementi Romano nonnulli deberi crediderunt, O-  
rigene, Hieronymo & Philastrio testibus. Cui  
sententia ad cap. XIII. hujus epistolæ adstipulatur  
Eratmus. Sed videtur orta suspicio veterum a traditio-  
ne de Clemente translationis auctore, ut & ex affinita-  
te dictionis cum epistola Clementis ad Corinthios. Sed  
ἐπιτομήματα πολλὰ & αὐτολεξεί ρητά πνα, ut loquitur Eule-  
bius, a Clemente, ex epistola ad Hebræos, suæ  
inserta, exceperim, phrasæos similitudinem admo-  
dum exiguam observabis. Quin potius Clementis  
phrasin ad antiquos Græciæ Scriptores accedere pro-  
pius, epistolam ad Hebræos, Hebræorum magis  
eloquentiæ colore subinde tinctam. Gentilis præ-  
terea Clemens: Hebræum hujus epistolæ auctorem  
fuisse multa probant. Quid igitur Romano cum  
Hebræis? Quanam illius apud hos auctoritas? He-  
bræis ἀπεικαστήσαι sperare illi convenit, qui hos in-  
ter antea fuerat commoratus: quod utrum de Cle-  
mente Romano recte dicatur res in obscuro latet. (a).

(a) *conf. Hebr. c. XIII: 19.*

§. V.

**E** Barnabæ prodiisse vult officina Tertullianus. Hujus vero rei in Cod. Sacro, vestigia nulla. Nihil scripsit Barnabas, cujus ad nos pervenit notitia. Unica, cujus meminere veteres, epistola ipsi adscripta, in Canonem non fuit relata, teste Hieronymo (a). Diversi quoque eadem argumenti a nostra, ut loca apud Clementem Alexandrinum, Origenem & Hieronymum ostendunt (b). Illam de Barnaba hujus epistolæ auctore sententiam Alexandrinus uterque, Clemens & Origenes, alto pre-munt silentio, non præterituri, si quid iis de ea constitisset. Neque hujus Barnabæ scripti meminere ceteræ de eodem fabulæ, quarum, ut novimus, est larga leges. Barnabam in Italia fuisse, unde hæc scripta epistola & ibidem vinctum, saltem ex sacris probari nequit. Tandem & ipsi adscribi non posse ex singulari & eximia, quæ se heic ubique pro-dit, eloquii majestate, colligimus. Pauli & Barnabæ mentio cum in actis injicitur, hunc illi dicendi reliquisse partes, quem ἡγούμενον τῶ λόγου & ea pro-pter ἐρμηνῶν appellatum (c) tradit Lucas. Inde vero patet, nec inter disertissimos fuisse Barnabam, nec ea polluisse dictionis sublimitate, cujus vestigia ma-nifesta pagina quævis exhibet.

(a) *Catalogo Script. in Barnab.* (b) *conf. Clem. Alex. L. II. Stromat. Hieron. de locis Hebr. it. Spanhem. l. c. p. II. c. VIII. §. 3.* (c) *cap. XIV. 12.*

§. VI.

**P**Ro Marco quæ stat sententia, veterum aucto-ritate

tate non minus ac argumentorum pondere destituitur. Repugnat Marci, Apostoli, Petri discipuli, conditio & auctoritas. Addatur historiæ, factorumque series, quin & illud inter Marci Evangelium & hanc Epistolam styli discrimen ingens.

Tertulliano quod adscripserint nonnulli, teste Sixto Senensi, (a) satis mirari nequeo. Quid enim hac sententia absurdius, quid magis ridiculum? Uti sunt hac epistola Clemens uterque, Justinus & Irenæus, idque ante Tertulliani ætatem. Ipse Barnabæ tribuit, seculo integro recentiori Timotheo, cujus tamen in epistola injicitur mentio. Latine scripsit Tertullianus dictione toto cælo diversa. Hæc qui perpenderit Tertulliani scriptum hoc esse affirmaturum credo neminem. Relinquitur autem, ut cum nulli eorum, de quibus egimus, tribui jure queat; Pauli esse epistolam idoneis argumentis evincere conemur.

(a) *Biblioth. L. VII. cap. 8. p. m. 583.*

§. VII.

**M**Ultis ad hoc adserendum rationibus usi fuere varii, quarum heic inire numerum inutile ducimus. Ad duos ordines illæ commodè revocari possunt. Horum *unus*, rationibus ex ipsa depromtis epistola, thesin demonstrare laborat. *Alter*, aliunde desumptis armis, auctoritatibus imprimis, ornare causam veritatemque defendere nititur. Epistolæ curatior evolutio tria exhibet argumenta præcipua, quibus contineri reliqua non obscure patebit. Historica momenta primum nobis consideranda

randa veniunt. Ex Italia scriptam esse Epistolam; ostendunt vel ea quæ in epilogo leguntur verba; ἀσπάζονται υἱὰς οἱ ἀπὸ τῆς ἰταλίας. Paulum autem in Italiam profectum (a) ibidemque vinctum, aliasque plures inde dedisse litteras, constat. Ad Hebræos igitur eundem scripsisse tuto colligimus. Quamvis enim largiremur, eodem tempore in Italia fuisse Lucam, Clementem, Barnabam aliosve; in hos tamen tot momenta alia ac in Paulum quadrare vix unquam ostenderis. Cui enim melius, quam Paulo convenit suis promissa restitutio? (b). Sic eadem in aliis epistolis familiare τὴν ἰδίαν παρυσίαν ἐπιγράφουσαι. Philippensibus & Philemoni idem pollicetur. (c) Quemadmodum autem Philippenses erant συγκοινωνήσαντες, τῇ αὐτῇ θλίψει (d) ita & Hebræi probabant συμπάθειαν τοῖς αὐτῷ δεσποῖς (e). Ad illos igitur miserat Timotheum, quem inde brevi rediturum sperabat, comitem itineris ad Hebræos sibi jungendum. (f) Unde & hanc paulo post illam ad Philippenses scriptam esse, veri admodum simile redditur. Et stante quidem adhuc templo, hanc datam fuisse epistolam, a silentio destructi templi & cultus Levitici liquet. Rem enim tanti momenti, & ad scopum suum inprimis pertinentem, auctor alioquin non fuisset præteriturus. Quid quod cap. VIII, IX, & X allegatur cultus Leviticus, tanquam adhuc durans, sed abrogandus. Cumque eo tempore superstes fuerit Paulus, cur non ipsi potius ac alii cuiquam hæc tribuatur Epistola?

(a) Act., XXVII. (b) Hebr. XIII. 22 (c) Phil. 1. 26.

Phil.



*Philem.* 22. (d) *Phil.* c. *IV.* 14. (e) *Hebr.* *X.* 34. (f) *Hebr.* c. *XIII.* 23.

§. VIII.

**P**orro vinculorum mentionem injicit hujus auctor Epistolæ, c. X. 34. Cui vero id magis frequens & proprium ac Paulo? Eum enim vinculorum meminisse in omnibus ceteris, & septem in vinculis epistolas scripsisse, constat. Id autem de nullo eorum, quibus epistola tribui solet, unquam eviceris. Timothei quoque facta mentio tandem de auctore dubium relinquit nullum. Hujus autem non meminit unquam Petrus, nec Jacobus, nec Johannes, nec Judas, sed solus Paulus, idque in omnibus suis epistolis, tribus tamen exceptis, non duabus tantum, ut voluere Spanhemius (a) & Witsius. (b) Nec mirum; cum Timotheus Pauli fuerit comes fere indivulsus. Is cum hoc itinera instituere, hujus gratia huc & illuc proficisci, nec non una cum hoc varias Ecclesias compellare sseverat, uti docent epistolarum inscriptiones, e. g. poster. ad Corinthios, ep. ad Colossenses, ad Thessalonicenses, ad Philemonem. Eumque proinde ἀδελφὸν ac συνεργὸν passim adpellat Paulus, cum quo & vinctus & eodem fere tempore in libertatem restitutus videtur. (c)

(a) *l. cit. part. 2. c. 5.* (b) *Melet. Leidens. p. 200.* (c) *conf. ep. ad Philem. 1. Hebr. XIII. 23. Philipp. I. 26.*

§. IX.

**M**ateria quoque insignis inter hanc & Paulinas epistolas ostendi convenientia facile poterit. Sic eadem heic & in ceteris de Christo elogia; oracu-

lorum V. T. ad Christum applicatio eadem mystica & singularis; eorundem utrinque oraculorum citatio frequens, exempla patriarcharum, cum primis Abrahami sapius allegata, & quæ sunt hujus generis alia plurima, e quibus Paulinus ille genius elucescit (a). Hic & *scopus* epistolæ locum non male tuebitur. Erat is sine dubio, ut Ex-Judæos hortaretur ad constantiam in agnita evangelii veritate, & proinde ceremoniarum umbras, figurarum complementum, cultusque Mosaici abrogationem, Hebræis ob oculos poneret. Jam vero hoc Paulo proprium, ut operam navaret sedulam Judæis in viam revocandis, qua de re testantur præ ceteris datæ ad Galatas & Colossenses epistolæ, nec non Act. c. XXI. v. 21. & 28. Quapropter etiam ex hoc indicio, non infeliciter epistolæ auctorem agnoveris. Ne vero objicias, copiosorem in hac epistola videri tractationem de cultu Levitico, quam in Paulinis; observes hoc omne ex eo provenire, quo hujus epistolæ *scopus* a ceterarum illo est divertus. Cum enim illæ ad ecclesias mitterentur, quæ de Judæis & gentibus collectæ erant: hæc ad Hebræos, qui Christo nomina dederant, dirigebatur.

(a) cf. Spanh. l. cit. p. 2 c. 1.

§. X.

**N**Ec certe minoris sunt ponderis rationes ab epistolæ forma styloque depromptæ. Hoc evidentissimis exemplis e densa eorum sylva prolatis jam ostendere placet. Dantur in ea voces, phrasæ & integræ propositiones, Paulo soli propriæ,

non anxie conquirendæ, sed pleno modio se facile cuivis offerentes. Sic e. c. *πλείοι*, c. V. 14. & cap. VI. 1. *τοῖς ἡπείτοις* oppositi, de perfectiori cognitionis gradu, cfr. 1. Cor. II. 6, Philipp. III. 15. 1. Cor. XIII. 10. Eph. IV. 13. Ita & *μοῦν* de Christo, Paulo soli solenne, c. VIII. 6, IX. 15. coll. Gal. III. 19. 20. it. 1. Tim. II. 5. *θεαριζέσθαι*, c. X. 33. coll. 1. Cor. IV. 9. Similiter *πληροφροῦν τῆς ἐλπίδος*, c. VI. 11, & *πληροφροῦν πίστεως*, c. X. 22. locutio soli Paulo passim adhibita. Porro Paulo, eidemque soli, frequens admodum illud *ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης*, Dei epithetum, in reliquis epistolis sæpissime recurrens Rom. XV. 33. XVI. 20. 1. Cor. XIII. 11. Phil. IV. 9. & c. *πρὸς τὸν θεὸν* Paulo vocatur Deus, ratione promissionum c. X. 23. XI. 11. & in aliis epistolis, locis plurimis. Phrasis *διακοῦναι τοῖς ἀγίοις*, c. VI. Paulo admodum familiaris. Rom. XV. 25. *διακονῶν τοῖς ἀγίοις* it. 1. Cor. XVI. 15. Quod in hujus epistolæ c. II. 4. legimus, *πνεύματ' ἁγίον περισπούς*, facit, ut mentem (ubeat, solere Paulam frequenter *τὸ πνεῦμα μερίζειν καὶ διακονῶν*, 1. Cor. XII. 11. & c. Sic & c. XII. 9. *διδασκαίαις περιφερόμεναι*, plane ut Eph. IV. 14. *περιφερόμενοι παντὶ αἵματι τῆς διδασκαλίας*. Ut Paulus aliis locis multus est in urgenda & commendanda fide; ita & in hac epistola *ἰσχυροῦς* vox duabus & triginta vicibus occurrit. Eisdem nihil solenne magis, quam fidelium calida efflagitare vota: quod & in hac epistola factam observamus. Sic & ad conscientiam suam provocat sæpe poster. c. XII. 18. Act. XXIII. 1. coll. 2. Cor. I. 12. 1. Thess. II. 4.

## §. XI.

**S**ed fit licet phraseos in multis similitudo manifesta: interim dicendi characterem heic a Paulino toto genere differre, non pauci veterum observarunt, harum rerum apprime gnari. Eminent in nostra, si eorum iudicio standum, elegantia dictionis & ornatus, cum lingvæ puritate copia, gravitas atque cothurnus. Fluit lenior simpliciorque, L. Hebrææ colore subinde tincta, oratio Paulina. Verum in eodem auctore, pro diversitate argumenti, affectuum, personarum, & quæ sunt cetera, sæpe diversam conspicimus dictionis faciem. Nec tamen stili in eodem scripto varietatem diversis auctoribus adscribere licet. Id autem non modo de auctoribus profanis, sed de sacris quoque, quin etiam de Paulo nostro valet. Nimirum easdem ob causas aliasque similes, nec Pauli in ceteris ejus epistolis stylus obtinet semper idem. Magnum loquitur, consensu eruditorum omnium, ejus ad Ephesios data Epistola, nititurque cothurno. Non verba, sed tonitrua audire sibi videtur Pauli scripta legens, & ad Romanos, Galatas, Ephesios datas Epistolas, testes citans Hieronymus. (4) Sic & ceteræ graves fortesque, confitentibus olim ipsis obtrektoribus Pauli, quod scriptum reliquit Augustinus, ipse ut novimus in votis habens, Romam in flore, Christum in carne, Paulumque in ore cernere. In aliis vero nostro humilis, simplex, minusque culta, lenis & pressa magis oratio fluit. In hac, varias ob causas, gradu quodam gravitatis & majestatis,

tis, non genere toto, distat ab epistolis ceteris dicendi character. Discriminis rationes in argumenti sublimitate recte quæsieris, majoreque studio adhibito, quod cum iis negotium, qui in scripturis exercitati instructique magis ceteris erant. Valet igitur heic, quod sapientissime de Paulo pronunciat Theodoretus; ἐπὶ πολλῇ σπουδῇ κέχρηται πρὸς αὐτὸς γράψαν, ὅτι τὰ βαρύτερα τῶν γρημμάτων αὐτοῖς ἐπιπέδαι, & tandem, quod scribat. κατηχημένοις καὶ τὰ ὑψηλά. Quod si ad has attendissent causas, Clemens Alexandrinus, Origenes & Eusebius; certe non judicassent, vel dictionem Lucæ quam Paulo convenientiorem, vel stilum, Clementis illi esse simillimum, Quo suo dissenſu magni illi viri demonstrant abunde, quam infirmum sit illud quod a styli discrimine contra Paulum adducitur argumentum. Idque eo luculentius, quo magis ingenue nonnullo orationis discrimine excepto, cetera omnia Pauli esse, profitetur Origenes. (b) Quod cum ita sit, nos a methodo, claudendi signandique modo, nec non aliunde pro Paulo arma conquirere supervacaneum arbitramur.

(a) *Epist. ad Pammach. L. I. II.* (b) *ap. Euseb. Lib. VI. c. IX.*

§. XII.  
**I**nſeris atque ex ipſo epistolæ ſinu deſumptis argu-  
 mentis, ſuccedit alter eorundem ordo; externis qui  
 nititur & conſenſu in primis antiquitatis omnis. An-  
 tiquorum primum teſtem citamus Apoſtolum Pe-  
 trum, qui in poſterioris epistolæ cap. III. v. 15, 16.  
 de Paulo ita habet; καὶ τὴν τῶ κυρία ἡμῶν μακροδομίαν,

σωτηρίαν ἡγεῖσθε· καθὼς καὶ ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν ἀδελφὸς Πάυ-  
 λος κατὰ τὴν αὐτὴν δοθεῖσαν σοφίαν ἐγραψεν ὑμῖν, ὡς καὶ ἐν  
 πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς, λαλῶν ἐν αὐταῖς περὶ τούτων, ἐν ταῖς  
 ἐπιδυνάτοίς πνα &c. Inde vero Paulum auctiorem  
 esse epistolæ ad Hebræos hoc ratiocinio demonst-  
 ramus. Posteriorem hæc scribens Petrus, epistolam  
 iisdem destinabat, quibus priorem, ut ex hoc cap.  
 III. v. 1 manifestum. Hebræis in primis scripta prior,  
 qui inter gentes *ἐν διασπορᾷ* vivebant. 1 Pet. 1: v. 1.  
 Ergo & his scripsit Paulus epistolam. Eam vero,  
 cum alia non detur, nostram esse inscriptio probat  
 authentica, nomen Ebræorum in fronte gerens.  
 Probant quoque loca ad quæ digitum intendisse vi-  
 detur Petrus, Hebr. c. X. 22, 23, 25; 36, 37. cum  
 quibus etiam Hebr. VI. 12, 15 &c. conferri pos-  
 sunt. Scopus denique idem evincit Paulo, in epi-  
 stola ad Hebræos, cum Petrino communis. Hunc  
 certe fuisse, Hebræos in fide confirmare, & adversus  
 relapsum periculosissimum præmunire, patet e. cap.  
 Hebr. VI. & X; coll. 2 Pet. II. 20. &c. Sed contra  
 hoc Petri testimonium, totam causam, immotum  
 si maneret, facile definiturum, variis exceptionibus  
 utuntur adversarii. His adeo solide & erudite re-  
 spondit Spanhemius, ut quod regerent dissentien-  
 tes, relictum esse videretur nihil. Interim Halletto  
 Anglo, satisfacere nequaquam potuit. Is enim, in  
 dissertatione de Auctore & Lingva Epistolæ ad Hé-  
 bræos, quantum in se, monstrare nititur, ex ver-  
 bis Petri nihil patrocini nostri sententiæ accedere.  
 Ipsi autem probabile videtur, ex variis locis, quæ  
 legun

leguntur apud Petrum, non ad Ex-Judæos, sed Ex-Gentiles Christianos suas eum dedisse epistolas, indeque prono velut alveo fluere de epistola ad Hebræos, loco citato minime agere Petrum. Loca ab Halletto allata debent evincere, de iis ea prædicari, ad quos scripsit Petrus, quæ de Ex-Judæis dici non potuissent. Sed ejusmodi esse, ut nihil obstat, quo minus etiam Judæis, ad Christianam religionem (conversis, commode tribui queant, quivis haud difficulter perspexerit. Sic e. c. 1. Pet. II. 10. illud *οἱ ποτε ἦ λαός, νῦν δὲ λαός θεῶν* &c. de gentibus ab Osea prolatum oraculum, (A) & a Paulo, Rom. IX. 25. ad gentes traductum, recte Petrus ostendit impletum in Judæis a tenebris Pharisæicorum dogmatum ad Evangelii lucem translatis. Judæi scilicet, ante conversionem erant quidem *λαός θεῶν*, verum secundum *carne[m]*, non secundum *Spiritum*, æstimatione propria, non ex mente Dei; secundum *dici*, non *esse*. Posteriori hoc sensu erant *ἦ λαός*, & in eos quadrat, quod habetur Rom IX. 6 *ὅτι γὰρ πατρὶς οἱ εἰς Ἰσραὴλ, εἰς τοὺς Ἰσραὴλ*. Ut vero nec majoris sunt ponderis exempla quæ objicit Hallettus, ita vel maxime hoc ex iis colligi posset; Petrum non ad Ex-Judæos solos, sed etiam ad Ex-Gentiles suas dedisse Epistolas. Quo posito, licet non concessio, tamen argumenti a loco Petrino ducti, vis non evanescet; sed sequetur nihil secius Hebræis, ad Christianam religionem conversis, scripsisse Paulum.

(A) *Uf. c. II. 23.*

## §. XIII.

**A**D reliqua veterum testimonia progredimur. Apud Clementem Romanum antiquissima epistolæ vestigia cernere datur, ipse licet auctorem reticeat. Seculo II, Justinus Martyr, loca ex epistola ad Hebræos cum aliis Paulinis eadem serie citat, & sic ad Paulum tacite illa refert. (a) Huic fere æqualis Irenæus exertim in opere deperdito *διαλέξεων διαφόρων*, ut Pauli meminit, teste Eusebio, (b) etsi dissentiat Stephanus Gobarus, *ἀσεβείας & ἀνειδείας* accusatus Photio. (c) Clemens Alexandrinus *σρωμαπιύς* expresse frequenter Paulo adscribit. e. g. *παύλῳ τοῖς εβραίοις γράφων*, (d) & quamvis eadem fere cum Clemente ætate vixerit Tertullianus, Barnabæ qui solus ex antiquis attribuit, Clementi potius vel eo nomine habenda fides, quod Judææ propior, & communis veterum traditio Paulo faveat. Hujus successor & discipulus Origenes *αδαμάντιῳ* dictus, Paulo plus simplici vice adscribit. Sic, e. c. *ἐν τῇ πρὸς εβραίους ὁ αὐτὸς Παῦλος φησιν, ἐπ' ἰσχύτων ἡμερῶν κ. τ. λ.* (e) In primis illustria ejus sunt sequentia apud Eusebium, qui ita scribentem infert; *εἰ τις ἐν ἐκκλησίᾳ ἔχει ταύτην τὴν ἐπιστολὴν ὡς Παύλου, αὐτὴ εὐδοκιμεῖτω καὶ ἐπὶ ταῖσ' οὐ γὰρ εἰκὴ οἱ ἀρχαῖοι ἄνδρες ὡς Παῦλος αὐτὴν παραδεδώκασιν.* Ex his Origenis verbis, manifestum est, veteres epistolam inter Paulinas numerasse. Qui vero Origeni *ἀρχαῖοι ἄνδρες* audiunt, illi certe si non ipsam Apostolorum ætatem attingunt, saltem ipsi proximi sunt habendi. Hinc idem huic veterum testimonio plurimum tribuit, nec a te impetrare potest, ut illud pro falso



falso habeat: quamvis styli diversitas scrupulum illi moveat. Quem tamen tanti non fecisse vel ex eo patet, quod ubique ut Paulinam citet, atque pro tali haberi jubeat. Alexander Episcopus Alexandria, hunc in modum; Παύλου Φάσκων περι αὐτοῦ ὃν εἶηκε κληρονομὸν πάντων, δι' ἧ καὶ τὰς αἰῶνας ἰπώησῃ. (f) Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus, hæc habet; ἀφ' ἧ κατηγγέλη τὸ ευαγγέλιον χριστῷ Παύλος εἶναι πιστεύεται ἢ ἐπιστολῇ, καὶ μετ' αὐτῆς εἰσιν ἐπιστολαὶ ἰδ' αἰ πᾶσαι τὰ Πάυλου. (g) Addimus unum adhuc, qui omnium instar esse poterit. Hieronymum loquimur, cujus hæc sunt verba. „Illud nostris dicendum est, hanc epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos. non solum ab ecclesiis orientis, sed & ab omnibus retro ecclesiis, & Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi. „(b) Scriptoribus particularibus jungerentur conciliorum testimonia, Laodicensi, Nicæni, Carthaginensis, ut & recentiores excitare testes, omnino non foret difficile. Sed cum otium nobis hac in re fecerint viri celeberrimi & longe supra nostras laudes positi, Spanhemius & Calovius nec non Hallettus, nos ad metam properantes, hæc opera superfedemus.

(a) Lib. ἐρωτήσεων καὶ ἀποκρίσεων ad quest. LXXI. Ἐ ἀ-  
 libi, conf. Span. Opp. Tom. II. p. m. 192. (b) Hist. Eccles. V.  
 25. (c) coa. CCXXXII. (d) Stromat. L. VI p. 645. Paris.  
 1641 it. p. 420. 514. Ἐ c. (e) comment. in Johann. p. 56. ed.  
 Huet. 1668. (f) Hist. Eccles. L. I. cap. 4. p. 13. Mogunt.  
 1670. (g) Dialogo I. de S. S. Trinitate. (b) epist. CXXXIX. ad  
 Dardanium.

## §. XIV

**P**AUCIS etiam nonnullorum, hæcenus nobis non occupatas objectiones ut tangamus exigit instituti ratio. His annumeranda & breviter excutienda quæ ex epist. c. II. v. 3. auctorem non esse Paulum, evincere conatur. Verba ita leguntur; *ἡτις (scil. σωματικῆς) ἀρχὴν λαβῆσαι λαλεῖσθαι διὰ τῶν κυρίων, ὑπὸ τῶν ἀκροάτων εἰς ἡμᾶς ἐβιβαιώθη.* His auctor excludere se videtur e numero τῶν ἀκροάτων, inter Apostolorum discipulos referre, & ab iis edoctum se confirmatumque profiteri: Inde vero nec Paulum Scriptorem esse, nec Apostolorum quemquam, sequi nonnulli putant. Sed cuivis verba citata curatius expendenti, non potest non obvium esse, quod utatur heic auctor figura oratoribus familiari, quam *ἀνακρίωσιν* vel *κοινοπίαν* adpellare solent. Hac se illis, quibus scribit, accenser: ut quod ab iis, etiam a semet exigat, quod de illis dictum, de se pariter per *συγκατάθεσιν* efferat. Hanc Paulo admodum esse frequentem, loca sequentia, aliaque multa probant conf. c. X: 26. 1. Thess. IV. 7. 1. Cor. X. 8, 9. cf. etiam Jud. v. 17. Nec causæ desunt, cur eadem, hoc loco, usus recte dicatur Paulus. *Altera* nimirum, ut efficacius persuadeat Hebræis, eorumque se animis magis insinuet, non efferendo se supra eorum sortem. Quantum vero illud schema valeat ad movendos auditorum animos, vel tirones norunt. *Altera* ex eo peti potest, quod arctissima detur inter fideles unio, ut quod plerisque competit, facile omnibus adscribatur. Porro eo convenientius ita loquitur h. l. Paulus, quo

quo minus dicere poterat, se collegio discipulorum Salvatoris, qui eum *αυτοπροσωπως* viderant, interfuisse. Quod vero hic ipsi deerat, per vocationem solenniorem etsi ferius factam, abunde pensatum fuit. Nec negari potest, Paulum multa, quæ ad historiam Christi pertinebant, ab aliis Apostolis percepisse.

E cap. XIII. v. 23. objicit Clericus, scriptam esse hanc epistolam post mortem Pauli, eidemque proinde tribui minime posse. Quia namque, ait, posterior ad Timotheum proxime ante supremam Apostoli fata scripta fuit; Si Timothei vincula ante incidissent, quam litteras ad eum scriberet, certe Apostolus eorum in his epistolis mentionem facturum fuisset, & patientiam ac constantiam Timothei commendaturus. (a) Verum hoc etiam Apostolus fecit, 1. Tim. VI. 12. coll. v. 13. adeoque objectio Clerici nihil valet.

Tandem nec antiquissima illa, etiam ante Clementis A-lex. ætatem orta, plus ponderis habet objectio, a defectu inscriptionis quæ depromi solet. Quamvis enim causam, eam eandem omiserit, certo definire non detur; causam tamen habuisse nullam epistolæ Scriptorem inde male collegeris. Quod si habuit, cur non eadem, ut nomen omitteret, adduci potuisset Paulus, æque ac Lucas, Clemens aut Apollos? Sed pluribus hisce immorari non permittit facultatum habenda ratio. Si vero pro dignitate argumenti parum dixisse visi fuerimus; rogamus perofficiose ignoscant Benevoli Lectores: quod si, pro instituto satis vel qualitercunque veritatis egisse causam, judicaverint, id omne Gratia Divina nos acceptum referre sciant, & nobiscum dicant.

S. D. G.



87  
Clarissimo Philosophiæ Candidato,

DN. PETRO SONCK,

Salutem!

Quandoquidem instinctus, quem ad certum vitæ genus penes se sentit unusquisque mortalium non nisi sapienti ordinationi Divinæ suam debet originem; sequitur omnino, quod consilium in eligendo vitæ genere ad naturam sit revocandum, sive, illud præ ceteris eligendum, ad quod naturæ genius maxime propendet. Quæ Tua, Clarissime Dn. Candidate, hoc in puncto fuerit singularis prædentia, me certe minime fugit, & proinde non possum mihi temperare, quin illam ceu maxima laude dignam publicè jam collaudem. Ex omnibus quibus homines occupati esse solent studiis, Tuum animum inde a pueritiâ maxime demulsit studium Artium Liberalium. In hoc itaque stadio & ut curreres proposuisti Tibi firmiter, & cucurristi constanter, suffamine licet retardatus multo, nullo tamen plangere impeditus. Conati sunt propinqui Tui, nescio qua de causa, revocare Te a proposito, sed frustra. Decessit Patens; sed neque hæc calamitas animum fregit, quin potius erexit: & licet quoque tunc quasi ultro se offerret, Tibi munus quoddam honestum, in quo jucundam agere vitam certe potuisses; illud tamen ceu alienum a proposito sive deque habuit optimum Tuis Geniis. Consultum semper duxisti, dandam esse operam doctrinæ & virtuti, idque eo impensius, quod, teste etiam Isocrate, illa sola sint *μακρὸν ἀγαθὸν ἀθάνατον*. Institutum quod tuebaris, ut egregium erat, ita etiam felix. Neque vero tanta industria potuit carere successu. Quæ enim Tua Clarissime Dn. Candidate, sit eruditio, testatur illud, quod optime elaboratum, amplius trino abhinc semestri spatio editisti specimen Academicum de Luxu Romanorum. Perbibebit quoque ejus testimonium, quæ jam jam prodit Tua, de Auctore Epistolæ ad Ebraros, Dissertatio, ob elegantiam, si prælagire licet, variam oppido commendabilis. Sed diutius Præconem agere laudum Tuarum, Clarissime Dn. Candidate, vetat præter alia, illa, quæ mihi jam a tenera ætate Tecum intercessit amicitia plane singularis. Gratulor Tibi, Clarissime Dn. Candidate, feliciter exantlatos labores Academicos. Gratulor festum illud vitæ, ex lauro complicatum, quo caput Tuum Apollo non post longum temporis intervallum redimet. gratulor denique mihi Amicum sincerum, nec non Fautorem exoptatissimum. De cetero ex omni animi adyto compellabo Deum T. O. M. qui omnis boni fons est, velit honestis Tuis conatibus perpetim favere, & omnigena gratiæ suæ dona largissime in Te effundere, quo in omnibus possis promovere gloriam Nominis Divini, & sic veræ felicitatis particeps fieri, Vale. Occupatissimus dabam Raumoæ die XIV. Nov. MDCCCLIII.

HENR. H. TOCKLIN.

Civ. Acad. Bor. Feno.